Quelle: http://manuscripta.at/?ID=496
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tiles est homo. quia plato et cicero. et aristotiles sunt tres homines non unius singularitate subiecte homo. Cum enim dicitur plato est homo. cicero est homo. aristotiles est homo. non solum de alio sed et singularitate sui aliud dicitur secunda affirmatione quam prima. et aliud tercia. quod ideo fit quia ii. uel quibus ii. uel iii. prime predicatiui repetatur nomen. res tamen predicata non repetitur. sed quibus conformes tamen diuisas. immo quia conformes quoniam numero diuisas a se inuicem esse necesse est de numero a se diuisis affirmantur. Et hic tamen de tribus predicatorum necessaria differentia non patitur hanc ad unationem ut dicantur plato et cicero sunt unius singularitatis homo. Cum uero dicitur pater est deus. filius est deus. spiritus amborum est deus. quibus de numero diuisis tamen non diuisa dicuntur. et sic nominis ita rei que predicatur repeticio facta est. et hic unius de tribus predicati necessaria indifferentia permittit. immo exigit eadem ita adhuc et predicate essentie singularitate coniungi. ita pater filius spiritus amborum sunt unius singularitatis deus. Recte ergo hac fidelium ratione ex theologicorum parte in differentie ratione commendans ait. Cuius et cetera. Quasi fideles diuisim dicentes pater est deus. item filius est deus. item spiritus sanctus est deus. atque in coniuncti inferentes pater. filius. spiritus sanctus. sunt unus deus. Utique non sine ratione quippe cuius coniunctionis ratio est illis quod de diuisis agendo diuisim de ipsis affirmant essentie unius indifferentia. Similiter aliquis sit quid diuisis enuntiationibus illis putant sic de diuisis ita quoque diuisa dici. quod sunt filium aut spiritum sanctum opinantur aut alium a patre aut alterum quam patrem diuinitate dici. Eos enim procul dubio comitatur differentia qua cum alium alii conferunt uel augent alium dicendo maiorem. uel minuunt. alium dicendo minorem. Verbi gratia ut arriani qui trinitatem id est hos tres. quorum unus est pater. alius filius. alius spiritus sanctus uocantur. uariantes quibusdam gradibus meritorum atque dicentes patrem esse maiorem filio. et filium spiritu sancto. distrahunt. id est non in [illegible] pluralium peccatum. unum [illegible] numero distingunt. dicentes solum patrem unitate essentie deum. filium uero creaturam. et spiritum sanctum creatam creature. Que nimirum diuersitas extremorum gradibus nec non intelligitur quod non sint in diuisis eiusdem generis natura esse non possunt. Neque enim homine homo maior aut dignior esset nisi nature diuersitate alter ab altero aliud esset. Cum ergo arriani patrem et filium et spiritum sanctum gradibus uariant interiorum meritorum eos etiam nec non numero differentia distinguunt. atque in eam que sunt formam generis et pluralitatem diducunt. Illorum ergo opinione cum pater dicitur deus. et filius dicitur deus. et spiritus sanctus dicitur deus. filius intelligendus est alius deus quam pater. et spiritus sanctus alius deus quam filius. uel pater. neque hac posse sine coniunctione qua dicitur pater et filius et spiritus sanctus unus sunt deus sed intelligendum quod ipsi sunt plures dii. quoniamque filius est alter deus quam pater. et spiritus sanctus alter deus quam filius uel pater. Omnis enim que uno nomine dicitur pluralitas

Filius. Spiritus sanctus. unus. Non tres dii. Cuius coniunctionis ratio est indifferentia. Eos enim differentia comitatur: qui uel augent. uel minuunt. ut arriani. qui gradibus meritorum trinitatem uariantes distrahunt atque in pluralitatem diducunt. Principium enim pluralitatis alteritas est. Preter enim alteritatem. nec pluralitas quid sit intelligi potest. Trium namque rerum. uel quotlibet. tum genere. tum specie. tum numero differentium diuersitas constat. Quotiens enim idem dicitur totiens diuersum pr[edicatur].